



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Baptiste Mantuani Bucolica// seu Adulescentia in decem
aeglogas diuisa//**

Baptista <Mantuanus>

Hagnoiae, 1517

VD16 S 7197


urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004847-4



F. IX.
16.

Jh. 5971.

F. IX
16



ERZBISCHÖFL
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

Michael roppens Carmelita Geraldinostanq e custob hui libri

Jo. Rossensis & Lutheri capt. Balyt.

Galut. Fide & opibz.


& Lutheri 91. articulos.

De aqua benedicta & Vita Beata.

De patientia Bapst. Mant.

Eiusdem de Fortuna.

Bucolica Virgilij.



5
DE VITA BEATA

F. BAPTISTÆ MANTVANI CARMELI ORDINIS

professoris de Vita Beata libellus incipit.

Rater Baptista Petro Spagnolo patri suo S. D. P. Ociofo mihi

f aliquid ad rescribere nuper in mentē uenit. Et cum diu mecū ipse cogitasset unde possem exordiū sumere, in materiā sane pulcherrimam omniumq; cognitione dignissimam incidi. Ea est Vita beata quæ quia ab omnibus amari debet, nec amari potest nisi prius cognita fuerit, non inutile mihi uisum est, si quidnam ea sit, & quibus gradibus comparet aperuissem, Cur uero hunc libellum ad te potius quā ad alium miserim, duabus potissimū causis factum est. Primo, ut quale esset genus exercitationum mearū agnosceres, & ne frustra me hactenus triuisse tempus forsitan existimares. Secundo ut de re tam exquisita & immortalī deo quā gratissima ad egregium mihi gratissimum uirum scriberem. Ego enim qui te mihi charior sit inter mortales habeo neminem, nec tamen uelim ut a me peculiarissimū quid expectes, nam neque hanc materiā tam diffuse ut tractari posset dicendam assumpsi, in qua diligenter explicanda M. Tullius Cicero facundiæ suæ neruos contendere posset. Sed ingenii tenuitate consulens multarū sententiarū flosculos summam delegi, & huic libello inserui, quos legens ipse agnosces. Et quoniam ego semper animo aduertit dialogorū stilum pene omnibus esse gratiorem, Ciceroniano more duos colloquentes introduxi Gigonem scilicet & Adrianum, hunc de uita beata iterrogantem, illum uero interroganti respondentem. Et quia forsitan hi homines qui sint ignotas, breui aperendum est. Gigo integerrimæ uitæ homo est quæ et septuaginta natus annos in nostra religione cōsenuit, multæ sunt in eo uero literæ & sapientiā, qualis in Catone fuit multarum usu comparata. Hic in quibus rebus beata uita consistat probe nouit. Adrianus iuuenis optimæ indolis, cuius integritatem in hoc uno perpēdas, quæ a prædicti senis latere nunquam discedat. Non enim est credibile eius uitam prauam esse qui bonorum semper consuetudine utitur. Finge itaque hos duos post prandium moderate sumptum, & post completas gratiarum actiones in hortulum secedere, & sub umbra parulæ arboris inter odoriferas herbas deambulantes hoc pacto cœpisse ratiocinari.

ADRIANVS

Rogo te pater si me amas, ut qui postquam iuuentutis annos ingressus sum, semper beate uiuere desiderauī, quæ tam sit in hoc mundo uita beator aperias. GIGO. Dum quis uiuit beatam uitam filine dixeris. Est enim illa Nasonis poetæ rata sententiā. Sed scilicet ultima semper Expectanda dies homini est, dicitur beatus. Ante obitum nemo supremamq; funera debet. Solon ille uir sapientissimus qui leges Atheniensium condidit, neminem in uita foelicem uocari debere putabat. Quis tam uecors est, ut non cognoscat quod parū foelicitatis in hac uita futurū sit, in quā dum intramus primum omnim flere discimus. Quis sine lachrymis uitæ presentis curriculum transit, quæ si consideremus sit breuis & incerta procul dubio Anto. Crassum imitaremur, quæ nunquam risisse Solinus meminit. Si forsitan alicui diuini fortuna blanditur, non tamen impunitū abire permittit.

P

F. BAPTISTA MANTVANVS

& quanto tardior tanto grauior procella succedit. Referunt historię Polycra-
tem Samiorū tyrannū aduersam fortunā haud semel exptum q̄ ne om̄is esset
expers incōmodi, annulū aureū in mare piccit, quē breui post tpe dum cœna-
ret in piscis uentre forte reperit, sed q̄ deus distulerat nequa q̄ abstulit, nam ex
tremo uitę suę ipse cruci turpiter affixus est. Quo sit ut uulgare prouerbium
non sit omnino uanum, quod differē inquam non aufertur. ADRI. Vera sunt
quę dicis, sed ego uitam beatam uoco illam quā si quis in hoc mundo uiuat
possit olim uitam immortalem quam nostri æternam uocant adipisci. GIGO.
Habeo, sed longiusculę disputatiōis locū adducis in aliud tēpus q̄ plus ocii na-
cti erimus differendū, ADRI. Obsecro ne molestum tibi sit quid sentias dice-
re, non peto ut omnia cribratim inquiras, sed tm̄modo sequaris rerū summa
uestigia, hoc em̄ a te discere cupio, a q̄ multa subtiliter disputata, multa etiam
sapienter prudenterq̄ iudicata cognoui. Et da ueniā si uirtutē tuam laudaue-
ro, q̄ tescūq̄ tuis disputationibus intersum. Catonem illū de senectute disputā-
tem uideor uidere, nec minus dicta tua obseruo q̄ olim seruare solebant Del-
phici numen Apollinis. GI. Si tanto desiderio afficeris audire meam de hac re
sententiam, tuę uoluntati, quantum in me erit, morē geram. Atq̄ utinā ego is
essem qui aliqd̄ dignum expectatione tua commorare possem. ADRI. Volo
sane ut hoc negociū suscipias pater, nisi forsitan tibi graue sit. GI. Quid inquis
hactenus nil graue mihi uisum est, q̄uis magnū qd̄ aliquis fratrū honesto desy-
derio cōpulsus me poposcerit, amicitiaē firmissimū fœdus est idē uelle idemq̄
nolle. ADRI. Loqueris ut sapiētem decet, nec aliter q̄ loqueris te factitasse exi-
stimo. Sed prius q̄ ulteriori loco procedamus, tria sunt quę peto. Primo, quid
sit uita fœlix, secundo in quibus rebus constet, postremo si quis sint qui hac tem-
pestate talem uitam uiuant. Hic nostrę disputatiunculę sit triptitus ordo. GI.
Possem tibi multas huius uitę beatę definitiones adducere a diuersis autori-
bus diuersisq̄ locis auditas, sed ne te multis morer, q̄ pacto ab Anneo Seneca
diffiniatur accipe, ego enim cum illo sentio. Beata (inquit) uita est illa quę in re-
cto certoq̄ iudicio stabilita est & immutabilis. ADRIA. Si placet inter nose a-
lex esto, ut quotienscunq̄ aliquid obscurioris inter dicendum acciderit inter-
pellare possim. Solet enim plæruncq̄ accidere ut dum uerbum obscurum præ-
termittitur, inde clarum omne id quod sequitur non intelligatur, dum audito-
ris anim⁹ ambiguo dicto percussus hæsitat, nec potest istud ex memoria re-
pellere. GI. Placet qd̄ dicis, laude dignus es audacter loquere, Luxuria a mem-
bris, ignorantia a mente fuganda est, ut Pythagorę placet. Ego semper in ado-
lescente futurę probitatis uerissimum signum iudicauī, si uelit doceri quod ne-
sciat. Omnis labor pro acquirenda doctrina subeundus est. Pythagoras amo-
re sapientiaē usque ad Ægyptios & Magos penetrauit. Sic eius discipulus Pla-
to eodem se fatigauit itinere, quem uult Augustinus omne id qd̄ de deo locu-
tus est a Hieremia propheta qui tunc in Ægypto uiuebat didicisse. Sed ut de no-
stris dicam. Hieronymus uir ille sanctissimus testatur in quadam epistola se a
pueritia literarū desyderio serbuisse, Apollinarem itaq̄ Antiochię frequenter

DE VITA BEATA

audiuit, Et dñi iam esset cano capite Alexandriam, ut audiret Didymū, perrexit, postea Bethleem reuersus hebraicas literas nocte silente furtim didicit. Timebat enim qui eum docebat ne Iudæi hoc cognoscerent, nō impune tulisset. ADRI. Præclara sunt & notatu digna quæ hæcenus dixisti, sed ut ad propositum redeamus, quid sibi uult id quod in definitione positum est, recto certoque iudicio. GIGO. Ex eo quod recto dixit uitā beatam debere esse rectam significauit. Rectum uero idem quod iustum significat, & quotiens aliquid oportere iustum esse dicimus, in eo oportere iusticiam esse demonstramus. De qua Euripidis illa notissima sententia dicitur, neque lucifer neque hesperus ita mirabilis. ADRI. Quid est iusticia? GI. Iusticia est, ut Tullio placet, uirtus unicuique quod suum est attribuens. Sed liquidius a nostro Hieronymo describitur. Iusticia inquit est non peccare, non peccare est legis præcepta seruare. ADRI. Dic quæso, quia mentio de peccatis accidit, est ne uerum quod uulgo fertur. Non peccat inquam qui nihil omnino facit? GIGO. Minuenda est penitus hæc opinio. Nam legis obseruatio bifariam diuiditur ut nihil horum inquam quæ prohibentur faciamus, & nihil ex his quæ iubentur prætermittamus. Lex ipsa inquit Auertere a malo & fac bonum, non satis est dixisse auertere nisi addidisset & fac bonum, qui autem nihil facit, bonum non facit, quia quod nihil est, bonum non est. Non solum oportet ut uestitum nō spoliēs, sed etiam ut spoliatum uestias. Iusticiæ duo sunt membra, quæ ab ea diuelli separarique non possunt. Pietas scilicet & equitas. Pietas (ut Trismegisto placuit) est ipsum deum immortalem omnium factorem & gubernatorem cognoscere. Finis autē pietatis ut cognitus deus adoretur. Equitas est non ea quam Tullius in recte iudicando æqualitatem uocat, sed omnibus æqualem se præbere, cui contraria est superbia, quæ est omnibus se maiorem existimare. Monet æquitas ut nullus altero uelit esse superior, nam quia indifferenter omnibus pater est deus, omnes pariter germani sumus ex eodem germine christo inquam renati, ubi ista duo nō fuerint ibi iusticia esse non potest. Potest etiam recto iudicio rursus aliter intelligi, ita ut recto interpretetur. i. sano ueroque iudicio. Sunt enim plerique mortaliū qui propter opes, cliētelas, affinitates, seruitia, sodalitates, hospitia, & propter alia huiusmodi fortunę bona se beatos existiment. Sed hi omnes recto ueroque iudicio procul dubio priuati sunt. Nam si intelligerent nos haud alia causa erecto uultu a summo rerum artifice compositos esse, nisi ut que supra sunt contemplaremur, & quæ sursum sunt saperemus, non se tot erroribus impedirent, tot stultitiis obruerent, tot denique tenebris confunderent. Non hi scilicet appellandi, licet Midæ opes possideant, quia recto carent iudicio, nec reddunt unicuique quod suum est, bonos floccipendunt, sacra non curant deum obliuiscuntur. In talibus uita eorum uersatur, ut hæreditates uel iure capiant, uel iniuria pupillos expellant, pauperes crucient. Laborant ambitionis morbo, aliud in ore sonat, aliud in pectore clausum laret, amicicias & inimicicias non ex re (ut Crispus inquit) sed ex commodo sibi habent. Hi sunt qui antiqui clamitant uates. Gens antiqua atque peruersa, hecine sunt quæ

F. BAPTISTA MANTVANVS

deo reddis popule stulte & insipiens? Et alibi. Statuerunt oculos suos in terrā
declinare. Sed hæc de mundanis dicta sunt. Quid uero de his dicā, qui quum
se ipsos regere nesciunt religionis antistites fieri uolunt, ut non solum suas, sed
etiam aliorū animas pditum eant. His aduertenda Claudiani sententia. Tunc
omīa inquam iura tenebis quum poteris rex esse tui. Primo igitur sibi mode
rentur, deinde si libebit aliis præ sint. Stantes in angulis faciēda præcipiūt que
nec ipsi p̄cipientes faciūt. Quis hoc prauum esse iudicium non dicat? Non est
igitur in illis (ut prædictum est) uita beata, quæ sine recto iudicio stare nō po
test. ADRI. Recte mi pater sentis, & huic quod dicis illud carmen Nafonis
poetæ conuenit, Pronaq; quum spectent animātia cætera terram. Os homini
sublime dedit cœlūq; uidere Iussit, & erectos ad sydera tollere uultus. Quo
fit ut damnandus sit ille Socrates qui solus Apollinis oraculo iudicatus est sa
piens. Hoc em̄ erat eius prouerbiū. Quod supra nos nihil ad nos. Cuius etiam
Lactantius facit mentionē si recte memini. Sed ut ad p̄dicta reuertamur locū
illum de iusticia manifestius enuclea, ubi dictum est non esse sine equitate iusti
ciam, & æquitatem esse se omnibus æqualem reddere. Dic quæso nonne ser
uos & ancillas nostri pontifices habent, quibus non modo non æquales, nec
solum ut seruo dominus solet esse superior sed ut semidei reputant? non sunt
igitur pontifices iusti? GIGO. Absit hoc facinus a nostra religione filii, ut in p̄
positis eius iusticia non sit, sed quum nuper illud Lactantii contra gentes lucu
lentissimum opus haberem in manibus, reperi quod huic quæstioni tuę possit
aptissime responderi. Ait em̄ seruos nobis esse qui quidē tenuiores & asperio
res corporis cultus habent q̄ domini, qd̄ aut̄ ad animam pertinet eadem cura
studio & industria gubernantur. Nam quum homo cōstet ex duobus, ex cor
pore scilicet & anima, quæ inuicem contrariant, qm̄ illud terrenum, hæc cœle
stis, illud mortale, hæc uero immortalis. Et iccirco non facile est utrisq; posse sa
tisfacere. Corpus amat conuiuia somnos & confabulationes. Anima uero cō
tra uult ieiunia, uigilias & orationes. Qm̄ igitur (ut dixi) non potest utrisq; sa
tis fieri, uisum est, utrū horum dignius sit, ut primo ei pareamus, deinde si possi
mus & alteri. Compertum est igitur animam corpori præferendam esse, quo
fit ut seruorum animabus pontifices nostri non minorem ac propriis diligenti
am adhibeant. Quæ autem ipsi ornatiores & politiores incedant, nō ideo faciūt
q̄ membra sua iudicent esse preciosiora, sed ut dignitates & officia que gerūt
a seruorum conditione uideantur esse differentia. ADRIA. Non opibus sed
uirtutibus præfecti debēt excellere. GIGO. Quod magis necessarium est pri
uuestigari debet, quæ aut̄ magis ornamento sunt q̄ utilitati, postea si possint
acquirantur. Oportet ut p̄tices sint uirtute præditi, primum igitur uirtus adi
piscatur. Non absurdum est pontifices tantum habere diuitiarum quantū ui
ctui modico sufficiebat. Et qm̄ hæc ornamenta diuitiarum necessaria omnino
non sunt, non primo sed secundo loco querantur, ita q̄ nec propter ea uirtutes
euanescent. Quis est qui nesciat æquum esse, ut a discipulis præceptor nedum
uirtute discernatur, uerum etiam grauiori quodam & honestiori habitus pri

*Naso
& Socrates damnatur*

*Non iustitiam esse se
sed æquitatem*

*Non possit ut
duo natura*

*Quid ornatio
res*

DE VITA BEATA

uilegiō partim quia discipulo maior p̄ceptor, partim quia modesta corporis
 ornamenta non paruo adiumento uirtutibus animi sunt ad temperandā gra
 uitatem, ut uulgaris tumultus ac cupiditas reprimi possit ac gubernari. Non
 est igitur dicēdum iniquos esse pontifices q̄ splendoriores habeāt uestes, nam
 ipsa æquitas non extrinsecus circa corpus, sed intrinsecus in animo sedem suā
 habet. Et qm̄ animi cogitationes soli deo manifestæ sunt, ipsi soli de æquitate
 iudicium relinquendum est. ADRI. Omnia ad uiuum refecisti, ita ut omnis
 a me seclusa sit dubitatio, quod euenisse puto non solum quia sic se res habeat,
 sed etiam quia elimato & quadranti sermone qui tibi & ab arte & a natura cō
 cessus est hęc omnia differuisti. Ornata enim politaq̄ oratione ueritas ipsa po
 tentius in auditorum animos influit. GIGO. Vidimus hæcenus quid esset ui
 ta beata, quæ posita est iusticia, iusticia enim omnes alias uirtutes tanquam fili
 as suo genio concludit. Nunc uidendum puto quibus gradibus ad ipsam iu
 sticiam ascendatur. ADRI. Miro discendi ardore ferueo, expecto quid dicas.
 GIG. Tria sunt connexa & simul conglutinata ad uitam beatam plurimum
 conferunt, diuisa uero & separata parum adiuuant. Sunt autem hæc ut nomi
 natim dicam pudicitia contemptus & iusticia. Et unaquęq̄ istarum uirtutum
 non propter se sed propter aliam quæritur. Primo pudicitia flagitatur ut con
 temptus mundi sequatur, nam mundus ab his facilius contemni poterit q̄ cō
 iugali uinculo soluti sunt. Nam postquam carnalibus illecebris cœperunt ob
 lectari & in sentinam uitiōrum corruerunt perditī sunt, & penitus desperādū
 est de salute eorum, nisi misericordī diuinæ potentia digito subleuati fuerint.
 Quæritur item contemptus mundi ut iusticia reperiat, repertaq̄ fruamur.
 quę difficile conspici potest, qui se negociis secularibus inuoluunt. Nam coniu
 gis & liberorum cura & ipsa res familiaris a recto iudicio mentes hominum re
 uocant, Pauci tamen recte uiuere incipiunt, sed tamen ni diligenter caueant
 (uitiis blandientibus) a recto calle deuiant. Primo igitur quibusdam contra
 ctis pactisq̄ legitimis opes quærunt, at ubi gustarunt quam bona sit negocia
 tio in usuras paulisper incidunt, deinde furtim aliena rapere, pupillos spoliare
 & proximos non abstinēt. Postquam autem in eis incalluit hæc consuetudo
 furtis & sacrilegiis, modo lateant, minime parcunt, sic malum malo truditur.
 Hęc omnia in tantū usum conuersa sunt ut non pro uitiis, ut sunt, sed pro uir
 tutibus in mundo nunc habeantur, & si quis talium rerum fuerit expers, tanq̄
 ignauus ab omni populo repellitur. Quare Satyricus noster Aquinas merito
 conqueritur. Aude aliquid breuisbus gyaris & carcere dignum. Si uis esse ali
 quid probitas laudatur & alget. Diuitiæ proculdubio sunt humani generis
 exitium. nec sinunt iusticiam in nostris regnare pectoribus. Quæ res minime
 Persium latuit, inquit enim. Q̄ si dolosi sp̄s refulserit nummi coruos poetas
 & poetrias picas Cantare credas pegaseium melos. Adde q̄ talis est opum na
 tura, ut nunquam satis esse uideant, quod uicium Romanis antiquis Ouidius
 uersibus his obiicit. Creuerunt & opes & opum furiosa cupido. Et quod possi
 deant plurima plura petunt, O diuitiarum sacra fames, quid non mortalia pe

F. BAPTISTA MANTVANVS

ctora cogis? propter te quoties uiolata est iusticia? propter te Sychius truncatur a fratre. Dido patitur exilium. Polydorus membratim secatur. Recte Thebanus Crates suas opes in cæcū pelagus abiicit mersitq; illas, ne mergere tur ab illis. Hæc igitur e mentibus nostris extirpare oportet, & tanq̄ in domū suam introducenda est iusticia, ubi suas possit figere radices, & fructus afferre mirificos. ADRI. Nonne fuisset satius si diuitias quas Thebanus ille philosophus in mare demersit pauperibus tribuisset? GI. Fuisset itaq; melius sed forte metuebat & si pauperibus dedisset, illis accidisset quod ipse fugiebat.

ADRIA. Et forsitan hoc illi in mentem uenerat, sed quoniam circa illa quæ superius commemorauī, omnem rem uersari perpendo, quomodo unumquodq; illorum assequi possimus audire desydero. Et dabis ueniam, si quæ dicis tardius apprehendo, quum sim a teneris Mantuæ nutritus, ubi hoc uitiū a densioris cæli qualitate contraxi. GI. Tum cum Cicerone sentis, ut e dictis tuis perpendo. Refert em̄, ni male memini, Thebanos fuisse ingenio pinguiore. Athenienses uero perspicaciores & acutiores extitisse. Iccirco quia crassus aer & pinguis erat thebis. Athenis uero rarior & subtilior apparebat. Sed hæc committamus, quod nunc instat agamus.

DE CASTITATE

Castitatem septem modis assequi poterimus, firmo inquam proposito, modico cibo, exercitio continuo, raro bonoq; colloquio & consuetudine, sensuum continentia, premii futuri p̄meditatione, auxilio diuino. Septem hæc arbitrio nostro percurramus, dicemusq; non tam eloquenter q̄ sapienter, nam semper magis studui sapiens fieri q̄ eloquens, qui enim facunde dicunt suauiter, qui sapienter utiliter audiuntur. Sed primum modum arripiamus.

DE FIRMO PROPOSITO

Si quis quod facturus est prudenter agere uoluerit, circa quod faciendum est, tria cōsiderabit. An illud inq̄ quod uoluit honestum sit an turpe, utile aut inutile, delectabile an non delectabile. Si res fuerit tm̄modo delectabilis ita q̄ honestate omni atq; utilitate sit priuata, hæc omnino fugienda est. In quo genere sunt lasciuicantus, & cythararum strepitus, qui infirmas iuuenum mētes alliciunt. Sunt etiam in hoc genere saltationes & choreæ, & omnes corporis illecebræ. Si uero res fuerit delectabilis & honesta apud omnes nationes nō laudo, honestas enim non una est apud omnes, sed qd̄ apud aliquos honestum uidebitur apud nos erit turpe, uerbi gratia, apud Epicurum honestum erat misceri cum uxoribus, & corporeas necessitates in propatulo & coram omni populo facere. Si quis igitur apud hoīes huiusmodi fuerit, uti hac honestate non debet. Si uero tale honestū erit ut fidei christianæ nō deroget, concedendum est, quæadmodū est uxore ducere, talibus se uestibus ornare, ut non solū utilitati corporeæ, sed etiā honesto cuidā decori nō luxurioso cōsulat. Si uero hæc tria simul in aliquo reperiant, ita ut sit & delectabile & honestū & utile adhuc est cogitandum, cuius nam sit illa utilitas, an corporis & animæ, an utriusq;. Si tantum corporis, turpe quidem erit christiano si fecerit. Si animæ toto co-

DE VITA BEATA

natu totis uiribus implendum est. In quo genere sunt ieiunia, abstinentiæ pro-
fide mortem obire, & martyria coronari. Si utriusq; cauendum est ne plus cor-
pori q̄ animæ tribuatur, ut intemperatis cibis sumendis, qui si, ut dixi, tempe-
rati sint corpori profunt & animæ, uidendum itaq; est ne minimum id quidē
plus corpori detur q̄ animæ. Si res illa fuerit corpori contraria, animæ uero
utilis, faciendum est ut appetitus obediat rationi, & Salustianum illud aduer-
tendum. Animi imperio corporis seruitio magis utimur. Postquam igitur qd
sic faciendum cognoueris, opus est ut non differas, non ambigas, non hæsites,
sed toto mentis amplexu uiriliter animoseq; suscipias. At recorderis illius quo
ait Comicus. Dum in dubio est animus paulo momento uel huc uel illuc cō-
pellitur. Quoniam igitur castitas secum fert utilitatem & honestatem unus-
quisq; suo proponat fortiter in animo castitatem obseruare, quod qui fecerit
ad alios gradus ascendere facilius poterit.

DE MODICO CIBO

Sicut cibus immoderate sumptus detestandam suscitatur uenerem, sic mode-
tus purissimam tuetur castitatem. Sed in hoc maxima pars mortalium falli-
tur, qui dum ignorant quid sit abstinentia, omne esculentum, præter carnes, sibi
conducere putant, nec animaduertunt q̄ in herbis etiam quibusdam uenenū
lateat, ut in eruca, quæ quia calidissimæ naturæ est uenerem reuocat. In legu-
minibus etiam luxuriose conditis titillatio carnis abscondita est, quo fit ut qui-
dam uir sapiens nuper diceret, eura qui uellet cœnobii curam gerere philoso-
phiam naturalem, quam physicam græci nominant, ignorare minime debere.
Sunt enim pleriq; cibi qui in usum quædianum ueniunt, a quibus nisi spiritualis
miles se diligenter abstinerit carnis intollerabile cœramen experiet. Quare
noster Hieron. & doctrina & rerum usu sapientissimus dicere solebat, nullum
cibū castitatem curantibus esse utiliorē q̄ olera palladis liquore perfusa, & eo
q̄dem modico. Item pisces, nisi minutissimos, prohibebat. Quod isti nesciunt,
uel si sciunt, qd grauius est, aspernantur, qui cœnare nesciūt, nisi uel ostreas uel
timalum uel aliqd hmōi animal habuerint. Atq; utinam hmōi hoīes quo in-
gluuiem suam satiare possent, prope littora Gansis habitarent, in quo, ut Soli-
nus testis est, tantæ quantitatis anguillæ nascuntur, ut ad pedum tricenorum
proceritatem accedant. Sed de his quæ hætenus dixi melius consulendi sunt
medici, ne uideam⁹ partē illorum surripere. Ego hoc infero. Hiero. autoritate
fretus, parcum cibum triduo ieiunio præferendum, nec licere cuiquam cali-
dissimis cibis uti, nisi uel infirmitate uel longo senio confectus sit. ADRI. Nūc
rēpus est quandā q̄stionē soluere q̄ non solum me, sed etiā plærosq; aliosq; du-
bitare non parum sepe coegit. GI. Vaticinor quid sit quod uis dicere. ADRI.
Nec miror, est em̄ famosa quæstio. GI. Tu ramen dic homo sum & falli & deci-
qi possum. ADRI. Qua intentione quo sine hæc oīa deus immortalis fecit si
homibus uesci non licet an ut pereant? GI. Non fecit hæc deus ut pereant, nec
quicq; in mundo ita perit, ut ad nihilum redigatur, sed formā mutat. Corpo-
ra nostra non pereunt, sed in ea elementa ex quibus constabant resoluuntur,

F. BAPTISTA MANTVANVS

Sunt etiam qui dicunt medullas nostras quū sepulti iacemus animari, & in an-
guem conuerri, quæ res & si fortassis uera non sit, mihi tamen uidetur esse ueri
similis. nam sicut per serpentem inter homines mors nata est, non absurdū erit
si dicatur hominis morte serpentem nasci, nihil igitur (ut prædiximus) oino
perit, cuius sententiæ autor est Pythagoras, quam noster Ouidius duobus uer-
sibus eleganter expressit. At enim. Nil perit in toto quicquam (mihi credite)
mundo. Sed uariat faciemq; nouat nasciq; uocatur. Nec frustra deus hæc den-
sissimam uariarum rerum syluam fabricauit, sed etiam (quantum compre-
hendere possum) tribus potissimum causis, ut potentiam inquam suam expri-
meret, ut ingenia nostra in ocio torpere non sineret, ut postremo ifirmitati no-
stræ subueniret. Et ut ad primum reuertar, quis inter homines tam solertis in-
geniū reperitur ut alterum mundum fabricare posset? Quis Zeusis? quis
Apelles? quis Phidias (ut de pictoribus loquar) tam uiuacem colorem & in
herbis & in floribus imprimere posset? Quis possit hominem opus admirabi-
le cœlestis spiritus capax formare? At ut altius ascendam cœlum de uexum
tot syderibus pictum mirabili solis lumine præditum componere? Atq; hæc
omnia deus ipse fecit. ADRIA. Nonne memoriæ traditum Archimedem si-
culum in uitro mūdum formasse, & per syderum motus uarias anni uices dis-
posuisse? Præterea nonne referunt etiam Prometheum fecisse hominem? nō
igitur tam mirum est si deus hæc egerit quæ potuerunt & aliqui facere. GIG.
Est aliquid quod dicis, sed age iterum rulinemus. Dicis Archimedem fecisse
mundum, putas ne fecerit nebulas? putas ne æstatem, putas ne solsticia & æq-
noctia posuerit? Fatuum est ea credere, q; si fecisset, hoc deerat q; non erat tā
capax quo iste quem uidemus. Q; autem dicis Prometheum fecisse hominem
si sane intelligeres non hæc diceres, fabula est non historia, quæ tamen aliquid
ueri intrinsecus habet. Aiunt em̄ q; Prometheus fecerit hoīem, quia primus
fuit qui statuas fabricauit, sicut etiam dicunt Cecropē fuisse bisformem, q; pri-
mus fuit q; marem & foeminam matrimonio copularet. Fecit igitur hæc imor-
talis deus ut ea nos contēplaremur, eorūq; arti ut nostrā imbecillitatē & ier-
tiam cognoscentes humiliaremur, ut per humilitatem eo scanderemus, unde
propter superbiam ceciderūt angeli. Vides tot animantia diuersarū formarū
diuersis & coloribus & uirtutibus ornata? Vides anni tempora quāpruden-
ter disposita sint? Primo uer nouum, sic dictum, q; tunc reuirescant omnia, &
ut Maro noster inquit. Et tunc omnis ager tunc omnis parturit arbos. Tunc
frondent syluæ tunc formosissimus annus. Primo ueri succedit æstas q; preci-
pue charitatis exemplū præ se ferens foetus omnes quos uer parturierat susci-
pit educandos, a qua si quid imperfectum relictum fuerit, superueniens autu-
mnus ad unguem pficit, & manū summā imponit, tūc agricola quicquid spe-
rando telluri crediderat, cū centeno foenore colligit. Et quoniam deus immor-
talis aduertebat annum gignendo, educando, maturando iam esse defessum
quietum tempus & uacuum laboribus adiecit quod uocant hyemē. ADRI.
Quare factum est ut tres anni partes in sudoribus, unā tm̄ in quiete posuerit

DE VITA BEATA

deus? GI. Placetq; mihi in memoriã reduxisti. Diffusus labor succincta quies
 strenuũ delectant militẽ. Si humanę naturę fragilitas pateret, nunq; esset labo
 re cessandum hominibus inquam. Oportet enim ut hoc miserabile corpus qd
 animam nostram assidue prouocat ad libidinem, assidue suscitetur ad laborẽ
 quemadmodum pater sanctissimus Macharius solebat, qui dum silenti habita
 ret in eremo, magnam arenę molem humeris huc illuc ferebat, & interrogat
 quid totiens hoc faceret, se uexare a quo uexabat (ipse hypodiascole) rñdit,
 Sed hæc hæctenus de diuina potentia dicta sunt, in his paulo longior sum, qm
 & uita beata de qua nunc agitur minime aliena. Deinceps de secunda causa di
 catur. Nosti animas nostras intelligentia & ratione præditas? Sunt itaq; ani
 mæ his uirtutibus armatae, tanq; milites processuri ad bellum. Sed qm nescio
 quid turpissimũ est in ocio proiecta uirtus, & ut uanũ est quenq; armari nisi sic
 cum hoste pugnaturus, sic procul dubio superfluum uideretur & uanum ani
 mas nostras ratione muniri nisi fortiantur aduersarium, cui uiriliter suum relu
 ctando queant robur explicare, & uires suas exercitio firmare. Voluit igitur
 ut nobis hostes essent lucanica, tucetũ, semen, omentum, & alia quã plurima
 quorum nomina norunt hi qui luxurię & uetri dediti sunt. Et eam legem po
 suit quæ solet inter hostes obseruari, ut qui uictus inquam fuerit uictori subiici
 atur, & qui uicerit imperaret. Si corpus animam uterit, uictã secum trahet ad
 infernum, si uicerit anima corpus secum ad cœlestia subtrahit. Post hac de ter
 tia causa agatur. Et summus & optimus deus non solum animarum nostrarũ
 uerum etiam corporum curam gerit, quæ quoniam uoluit diuersis languori
 bus esse subiecta, quibus ut solet aurum in igne purgarentur, ne forte deficeret
 in herbis & lapidibus abstrusit medicamenta, quæ iccirco uoluit occultari, qd
 sciebat se rationem omnium acutissimam indagatricẽ nobis tribuisse. ADRI.
 Quid opus est ut corporibus nostris adhibeamus medicamina? omnia anteq;
 fiant deus prænouit. Et quia ipse falli non potest, oportet ut eueniant sicut ipse
 præuidit, si ergo deus præuidit me ex hac infirmitate moriturum siue medi
 cum accersiri faciam siue non, quia ut prædixi falli non potest, ut moriar neces
 se est. GIGO. Ne uideamur in aliam materiam transiisse, quæstioni huic re
 spondendum est. Quanq; deus a principio cognouerit utrum ego in doctum
 uel ignarum uirum euasurus sim, non tamen debeo præceptorem spernere.
 Nam de? sciuit me doctum futurum si studiis operam dedissem, & futurum
 ignarum si literas aspernarer, nouit deus ea conditione posse te sanari si utaris
 consilio & opera medicorum, & de similibus idem est iudicium. ADRI. Oia
 prudenter eleganter & scite disputasti, & nihil intactum reliquisti fateor quæ
 dicis uera esse. Tu ex animo meo rubiginem quandam ignorantia detersisti,
 sed si placet de continuo exercitio dicere, aggrediamur quod superius tertio
 loco constitueras de continuo exercitio. GIGONI. Hieronymus in eo libel
 lo qui de modo uiuendi in monasteriis inscribitur, dicit omnis immundiciae
 atque peccati matrem esse ociositatem, quod quia uerum est, sequitur omnis
 mundiciae atq; meriti matrem esse exercitationem, contrariorũ em̄ contrariũ

Q

F. BAPTISTA MANTVANVS

sunt effectus. Non aut̄ omne exercitium est laudabile, sed solum illud q̄d his duabus differentiis limitatū sit, assiduitate scilicet & honestate. Assiduū oportet esse, quia necesse est ut q̄d semper oppugnat̄ semp̄ q̄q; defendat̄, propterea mēs nostra in continuo motu p̄sistit, & oportet ut semper aliquid & inquirat & excogitet, siue id bonū sit siue malū, quum etiam memini me uidisse homines qui quidē quæ nesciebant in somniis didicerunt, & tenaci memoria retinuerūt unde nec dormiētiū quiescunt animæ. Igitur si quid honesti exercebimus, circa id honestum uersabitur anima. Si uero in ocio marcescimus (quoniam sumus natura in malum p̄cliuiores) cogitationes impudicæ latenter subintrant, quas nisi confestim remoueamus, miseram strangulāt animam heu me miserum quæ iactura! Si uero fortiter animoseq; repellamus, tandem per illā cœlestem hierusalem (imperatoris more) uictores coronati triumphantes incedemus, tunc omnes cœlicolæ astantes dicent. Hæc est quæ mortalia spernēs acquisiuit immortalia, diem festum agamus, & fratris nostri natalitia hodie lætantes celebremus. O patria beata uel patria cœlestis ex hac sentina malorum ad te suspiramus, ex hoc remotissimo litore procul aspicientes uix te discernere possumus. Erit ne unq̄ dies illa dies exultationis & læticiæ, qua nobis qui iam curriculum p̄sēntis uitæ transegimus, & quin studio certaminis ual uas aperiens a tristitia ad gaudium, ab odio ad amorem, a morte ad uitam uocare dignaberis. Sed de his alias. Oportet ut exercitium (p̄ter illa quæ diximus) sit honestum, quo fit ut Pentathlum uituperem, sub quo ludorum species quatuor assignantur. Iactus inquam disci, cursus, iaculatio & lucta. Non iubeo ut quis in publicum procedens ex utris uestibus & correpto grandisilice tota die frustra desudet, non ut celeritate pedum currendo certet, non ut scorpiones aut arcus manu gestans Alconem studeat imitari, qui quum uideret filium suum a serpente necari, correpta sagitta & opposito genu tetēdit arcum percussitq; serpentem, nec filium tetigit, quamuis cum serpente mixt⁹ esset & inuolutus, Hæc studia non multum laudo. ADRIA. Quid de agricultura sentis? GIGO. Agricultura iudicio meo dignissima est & honestissima, non tamē graui raistro terram fodere & in agris uomere sulcos & porcos inducere omnino iubeo, sed hortulum seminare, ulmo uitem cōiungere, arbores inserere. i. ex syluestri domesticas facere, & propagines sepelire quis nō laudet? In his delectetur qui uult uitam beatā ducere. Nec doleat q̄ filios coadiutores non habeat, qm̄ ut Guido nostri t̄pis grauissimus phūs dicere cōsueuit incognita beatitudo est liberorū priuatio. Legat hos qui de agricultura scripserunt & Catonem & Virgilium, & græcos si linguam nouerit & Hesiodū & Democritum. Sciatq; quē admodū Cato prim⁹ in ea re arte scripsit apud nos & apud græcos Hesiodus, noritq; Osirim, uel, ut alii uolunt, Triptolemū primum boues ad aratra iunxisse, & stercorizandi artem primo a Sterculo q̄dā reptam, cui Picus Romæ templū constituit, nonnulli t̄n fuisse Saturnū uolūt. Discat etiam primus qui uitē plantauerit uinūq; collegerit fuisse nō Bacchū quendam ut perhibent, sed Noe ut testamentū uetus asserit, & Lactācius ap̄

DE VITA BEATA

probat. Si hæc omnia cognouerit maiorem animi uoluptatem sentiet, nec pu-
 debit eum terrâ colere, de qua tot præclara uirorum ingenia scripserunt. Sed
 exercitiū partē optimā omisimus, nihil enim de studio literarum diximus, quo
 nihil melius excogitari potest. Studeat itaq; beatæ uitæ diligēs inq;stor opti-
 mam sibi bibliothecā cōparare, sacros gentilesq; libros in ea recondat. Est em̄
 (ut Augu. in eo libro qui de christiana doctrina inscribit dicit) scientia secula-
 ris nō solum nobis utilissima, uerū etiam necessaria propter tropos & figuras
 quibus sacræ plenæ sunt historiæ. Sāctorum philosophorumq; uitam lectitet,
 & inquirat quæ nam fuerit illorum de uita beata sententiā. Studeatq; maxime
 Platonicos, qm̄ plurima recte sentiunt, imitari. Philosophiæ morali fiat famili-
 aris, quæ trifariam diuiditur in politicā, æconomicam & monasticam. Volu-
 mina tria M. T. Cice. quæ de officiis scripsit semper in manibus habeat, & stu-
 deat quæ legerit imitari. Legat historias, autores nouerit omnes quicquid lege-
 rit tenaci memoria teneat, Et qm̄ ut p̄dixi opus est ut bibliothecam habeat, di-
 scat qui fuerint antiquorum qui maximam librorum habuerūt copiam, & eo-
 rum æmulus efficiatur. ADRI. Sed qui fuerunt qui maximam librorum ha-
 buerunt copiam? GIGO. Pisistratus Atheniensium tyrannus primus apud
 græcos bibliothecam condidit, quam Xerxes incensis Athenis uexit in Per-
 sas, longo post tempore Seleucus Nicanor in Græciam reduxit, postea magn⁹
 Alexander ad comparandos libros animum intēdit, & Philadelphus Pisistra-
 ri æmulus non solum gentiles, sed etiam diuinas literas uoluit. Huius tempo-
 ribus fuerunt Alexādrīa lxxi. interpretes, qui (ut Augu. in eo libro qui de do-
 ctrina christiana inscribit dicit) testamentum uetus ita interpretati sunt, ut sin-
 guli in singulis cellis reclusi essent, & completo opere factum est ut cuiusq; in-
 terpretatione nō solum idem sensus, sed etiam eadem uerba & eodem ordine
 posita reperta sint. ADRI. Res auditu mirabilis equidem credo cœlestē spūm
 mentibus eorū insedissee. GI. Tecū sentio. Qui primus librorū copiam Romam
 uexerit Paulus æmilius fuit, de uicto Perse Macedonū rege. Postea Lucullus
 e pontica præda. Et post hos Iulius Cæsar Romanorū primus imperator sum-
 mæ bibliothecę constituēde M. Varroni puinciā dedit, Primus aut̄ Pollio bi-
 bliothecas & græcas & latinas Romę publicauit, addens autorum imagines.
 Et ut de christianis dicā, Pamphilus martyr cuius uitam scripsit Eusebius cæ-
 sariensis in bibliotheca sua triginta uoluminum millia collocauit. Dixi superi-
 us qui uelit in hoc exercitio uersari debere q̄ diximus agnoscere, qm̄ & hisce ad
 studium accenditur animus & studeat æmulari, & id ad aliquod p̄clarum ex-
 citatur. ADRI. At omnes habere bibliothecas non possunt. GIGO. Fateor,
 sed habentibus studeant adhærere, & omne tempus quod in comparandis li-
 bris dandum erat id omne in assidua lectione consumant, sic docti, sic illustres
 etudent, sic deniq; mens nostra in his liberalibus studiis occupata uia regia gra-
 dietur, nec ad dextram nec ad sinistram declinabit. ADRI. Tetigisti quod. iā
 diu multūq; dubitauī, quid est uia regia & dextera & sinistra procedere? GI.
 Virtutes semper in medio constituuntur, uitia uero dextrū & sinistra locantur.

F. BAPTISTA MANTVANVS

Media uia regia dicitur, qm̄ is demū se regere nouit qui uia media perambu-
lat. Vt autē quod dicimus clarus elucescat exemplum subiiciam. Vitium est
nunq̄ ridere nunq̄ hilarem uultum depromere, & qui huiusmodi fuerit, rusti-
cum nominabo, rusticitas igitur pro uitio reputatur. Qui semper rideat sem-
perq̄ lasciuiat, scurrā appellabo, quē utiq̄ non laudo, qm̄ uitiū est. Quod ue-
ro medium istorū est, aliq̄n̄ mediocriter ridere amicis & hospitibus lætā faci-
em exhibere, dignū laude iudico, quā rē q̄ sciuerit obseruare comis noīabitur
ipsa autē uirtus comitas. Sic igit̄ constitui poterunt ut logicos imitemur.

Dextera	Via regia	Sinistra
Rusticitas	Comitas	Scurrilitas
Iracundia	Ira	Segnities

Vides ne qualiter uia regia gradiendum sit, ut de scurrilitate diximus, sic pari-
ter de iracundia phas erit dicere. ADRI. Habeo quæ dicis, & recte quidē dixi-
sti necessarium esse castitatē curantibus exercitiū, nam primo græci, postea ro-
mani pudicitiam colentes dixerunt Dianā quæ castitati præerat, & nemora
& saltus assiduīs uenationibus agitare, & corpus suū ut Paulus noster in serui-
tutem redigere. Aduerrebāt em̄ neminem (ut prædiximus) sine membrorū
exercitatione posse diu illesam custodire uirginitatem. Sed si placet iam de ra-
ro colloquio quod quarto loco positum est dicatur.

DE TACITVRNITATE

GIGO. Oportet oīno ut qui uelit esse castus casto sermone studeat uti, ser-
mo autē noster castus erit, si raro, honeste & cum bonis habeat. Raro dixi, qm̄
difficillimū est linguā lubricā ita gubernare quin si diu locuti simus, uerbū ali-
qd̄ imprudenter excidat, ex quo aliqd̄ inhonestū oriat̄ in animo, & paulatim
subrepat, & altius figat radices ut difficile possit amoueri. Sed hoc magis peri-
culo q̄ rōne cognoscipōt, non sufficit ut sit sermo breuis, nisi fuerit breuis hone-
state p̄ditus. Vnde Paulus noster inquit. Corrūpunt bonos mores colloquia
praua. Quod tñ est a græco poeta translātū. Legimus nōnullos e nostris, qui
ut silentium discerent & loqui dediscerent, ore clauso triennio lapidem gesta-
uissent. ADRI. Miram constantiam hominum narras. GIGO. Si hæc tantope
miraris, quid de Socrate dices? quæ ea cōstantia fuisse dicit̄ ut per dius & p̄nox
a summo lucis ortu ad alterū orientē solē in eisdē uestigiis immobilis & oculis
in eundē locum semper defixis cogitabundus staret, quasi quodam mentis de-
cessu factō a corpore. Nihil est tñ difficile quin facile fiat ubi pigra & iners uo-
luntas abfuerit. Debet non solum sermo noster breuis & honestus esse, sed etiā
cum bonis haberi, uera enim prophetæ sententiā. Cum sancto sanctus eris, &
cum peruerso peruerteris. Cauēda est omnino malorum consuetudo, & in ali-
quē locum semotū a turbis hoīm secedendū, & in sanctorū fratrum conuentu
bene beateq̄ uiuendum est, ubi oībus q̄ ad dei seruitutē pertinent diligenter
exactis, possit reliquum tempus in studiis quæ prædiximus occupari. ADRI.
Ergo solitudinem uituperas? in qua primopatres nostri Helias. s. Heliseus nec
non Ioannes, cui Baptista græcū cognomen est habitauerunt. GI. Nequaquā

DE VITA BEATA

eremum uitupero, in qua dum Plinius secundus esset, dicebat se nihil audire quod audiuisse, nihil uidere quod uidisse poenituisse, uerū paulo periculosiorē esse affirmo, & nisi perfectis uiris appetendā, nā si sis solus ueliscq; quicq; turpe facere neminē uereberis, si cecideris nō est qui te subleuet. In cœnobio autē & quem uerearis, & qui tibi sit adiuumento ne cadas, & qui deniq; subleuet si cecideris semper habere poteris, unde Hiero. uere beatæ uitæ compos dicere solebat, funiculum triplicē tardius rumpi. ADRI. Habes ne de gentiliū historiis quicq; quod proposito nostro de silentio congruat? GI. Habeo multa q̄ narrare possem, sed p̄clarum istud Xenocratis in primis habeo. Is cum forte semel in multitudine iuuenum esset, qui uitas aliorum more scq; carperent solus tacebat nec uerbum q̄dem expressit, & percontanti cuidam cur tam diu taceret? R̄ndit se poenituisse aliq̄n dixisse, tacuisse uero nunq̄. Iste uero cū nostris (de quibus supra mentionem feci) rite concordat, q̄ iccirco taciturnitatē tanto studio obseruabant, quia intelligebant & cœlū sine castitate, & castitatē sine silentio comparari non posse. Hi em q̄ recta intelligentia gubernantur, hi profecto habiti sunt digni qui cœlū colerent, q̄ mundi ab oī terrena labe repertisunt. Imponendus igitur ori nostro quidam modus ne quicq; plusq; sit necesse loquamur.

DE CONTINENTIA SENSVM

Castitatis firmissimū munimen est, exteriores cohibere sensus. Nam quicq; oculi uident, quicq; aures capiunt, quicq; manus cæteriq; sensus accipiunt, confestim cordi tanq̄ omnium principi nunciant, in quo omnis nostra reposita salus, quare propheta deprecabatur dicens. Auerte oculos ne uideant uanitatē. Timebat enim ne si oculi aliq̄d uani conspexissent & intrinsecus attulissent, mens ipsa macularetur, quā decet esse niue candidiorem. Et q̄a quinq; sunt sensus, longum esset unumquēq; tractare, sed quæcunq; de uno horum dicetur, eadem de cæteris dici intelligat, quicquid de uisu tactuq; dicemus, de auditu pariter & odore & sapore percipias. Conuenit igitur uisum auditum & tactū & cæteros prudenter & cū uirtute gubernari, qui nobis a deo concessi sunt, ut diuina audiamus & uideamus, & ut uisa & audita in secessu mētis arcano reponamus, & seposita non tanq̄ mortua teneamus, sed ut diligenter operemur & si forte quē uideris ignoratē, debebis eum docere q̄ sciueris. Nam ut inquit Augustinus, Si noueris aliquid nec uelis id alicui monstrare, nondum cognoscis quo pacto cognoscendum est, Nihil audire dum est nisi quod iustum & sanctum sit, & immortalis dei laudem resonet. Non adhibendæ sunt aures quibusdam assentationum lenociniis, quibus maxime solent capi homines, dum se t̄modo extrinsecus inquirunt, & dum magis aliorum uerbis q̄ semetip̄is de se credunt. Si autem contigerit hoc pacto laudari, carmen illud Hora. memoria teneamus, Nec te decipiant animi sub uulpe latentes. Et item illud Catulli. Nos alio mentes alio cōuertimus aures, Sed quid de odore dicā: cum etiā in faty. Iuuenia. delicatus & odoribus plenus iuuenis a meretrice reprehendatur ait enim illa. Vnde hæc spirant opobalsama collo. Dic age nec pudeat dominum monstrare tabernæ, De tactu loquar nescio, non enim potest præ magni

F. BAPTISTA MANTVANVS

sudine sceleris enarrari neque quicquam est quod magis animam coinquinet & influat. Nota est Archite Tarentini sententia, dicebant enim nihil scelerius, nihil periculosius mentibus humanis a natura datum quam voluptatem. Hinc reip. subuersiones, hinc tacta cum hoste colloquia, & omnia praua consilia profluere non mentiebatur. Sunt igitur sensus omnes precipua cura coercendi, per quos tanquam per fenestras ascendit mors ad animam. Nec preclarum illud Sophoclis exemplum silentio pretereundum puto, qui sciscitatus a quodam an uenere uteretur. Dii meliora uelint inquit, libenter enim istinc tanquam ab aliqua furiosa dominatione semper fugi, sed hic sapienter respondit, Xenocrates uero sapientius egit, nam dum propter continentiam sensuum apud omnes admirabilis esset, eius discipuli tentare uoluerunt, si talem in animo continentiam habere qualem monstrabat extrinsecus. Facto itaque splendido conuiuio & preceptorem suum conuocarunt, nec alia causa nisi ut rationis eius uires largis suavioribusque perorationibus opprimerent, quod ubi factum putauerant, in lecto strato molliter eum collocabant moxque Phianim scortum nobile in cubile introduxerunt, & solus cum sola relinquitur. Oratio sceleratissime libidinis nobile propugnaculum, tunc quid tua possit uirtus explicasti. Percipite adulescentes, audite iuuenes, aures adhibete uiri & senes rationisque expertes. Vir multo uino madidus in molibus plumis cum meretrice iacet, remotis omnibus arbitris carnis incendia stimulant. Sed quia cognoscebat nihil peius, nihil turpius, & nihil quod ab immortalis deo grauius puniatur, nequaquam flectitur instar scopuli qui inter fluctus natura funditur, & undarum frequentium collisione uapulat, nec mouetur, inconcussus mansit & immobilis. ADRI. Mirae uirtutis hominem narraisti, quia ea constantia mihi fuisse uidetur, quae etiam in martyre posset admirari. GIGO. Potest etiam Periclis exemplum praedictis adiungi, qui Sophoclae collegae suo poetae tragico ingenui pueri praetereuntis formam laudanti increpans dixit, hominis manus non solum a pecuniis lucro, sed etiam a libidinoso oculos aspectu continentes esse debere. Quid tibi Spurinam commemorem? qui non solum sensus continuit, sed etiam ne forma sua posset alicui sensus imprudenter gubernanti nocere prouidit. Dum enim intelligeret eximium decorem suum tanquam libidinis irritamentum multis obesse, correpto cultro nares, labia, supercilia, mentum genasque recidit, qui quia paganus & gentilis erat, maiore admiratione prosequendus est. Studeamus igitur forti inuictoque animi robore sensus nostros sic continere, ut per eos nil nisi quod nobis immortalis uitae spem repromittat exerceamus. Veniendum nunc est ad premii futuri considerationem.

DE PREMII FUTURI CONSIDERATIONE.

Equidem filii Adriane libidinis continentia non parum laboris & sudoris praeseferre uidetur, praesertim in adulescente, quam rem animaduertens ille rerum conditor immortalis deus magnitudinem laboris copiosa mercede pensauit. Sed quo grauior est labor, tanto maius est premium. Fortiori militi & quae periculosa in belli seruire pertulerit, praecipuo quodam praeter caeteros coro

DE VITA BEATA

ne premio donare consuevit. Tanta sunt premia quæ uirginitati debentur ut si pro eis acquirendis quisquam nostrum sub Æne specu ardentissimo Nestoris annos & ætatem Sibyllæ duplicatam uixisset, nondum tantillam partem meruisset. Quoniam precio sedes immortalis, omnis expers mœroris & tristitiæ omni plena iucunditate, omni priuata caligine, omni repleta lumine comparari possit. In qua iam factus immortalis fabricator mundi huius qui quadam mirabili prouidentia gubernatur posses assiduo contemplari. Sed foret fatius nihil quàm pauca de cœlestibus loqui, quorum minimam portiunculam Paulus agnoscens uociferabat. Quis separauit nos a charitate dei? gladius an fames? an omnia quæ possunt excogitari tormenta? O Paule quid si perfecte in regreque cognouisses pro quibus crucem Petrus, uolentam pellis detractio nem Bartholomæus, lapidum sæuissimos ictus Stephanus & alii innumerabiles perpeSSI sunt? portaturi etiam pro patria cœlesti maiora & grauiora, si potuissent. Tanta sunt igitur uirginitatis premia futura, quanta ex prædictis comprehendere potuisti, sed quid inquam comprehendere potuisti quum nostra cognitio tanti non sit ut ad contemplandum minimum quid illorum se possit erigere? Audi quæso quanta sint ea quæ nec ipsi qui uiderunt exprimere possunt. Aurelius Augustinus in se totus contractus forte semel cogitabat, quænam essent cœlestia gaudia, ut posset mandare literis, & prodesse uenturæ posteritati, & dum arctius mentis neruos collegisset in unum, ecce repente fugatis tenebris (erat enim tunc mediæ noctis conticinium) mirabile lumen emicuit. Mirantique Augustino & quærenti quis nam esset, se Hieronymum esse respondit, qui paulo ante corporis ergastulo solutus ad patriam migrauerat, & hæc uerba adiecit. Ante Augustine totum pelagus paruo uasculo concludes, ante orbem terrarum pugillo comprehendes, quam possis cœlestium gaudiorum minimum quid inuestigare, nisi ut ego nunc, sic & tu olim periculum feceris & mox ex oculis euanuit. Et ut etiam de paganis mentionem faciam, nonne quæ plurimi eorum ut immortales fierent sponte sibi manus intulerunt? Nonne Zeno, Cleantes, Chrysippus, & Cato se propriis manibus necauerunt, ut in cœlum migrarent? Præterea nonne Empedocles in ardentissimum æne specum intempesta nocte se proiecit, ut citius transiret ad superos? Quia si tanta erat in illis beatæ uitæ cupiditas ut nec uitæ suæ parcerent quanto magis nos ipsi ut eam assequamur breues quasdam delectationes effugiamus? & corpora nostra studiis asperioribus consuefaciemus, ut possimus omne certamen sustinere uiriliter.

DE DIVINO AUXILIO

¶ His habitis, poterimus integram seruare integritatem si tantum res una superaddita fuerit, hoc est diuinum auxilium, neque enim quicquam nisi deo propicio recte fieri potest, quod ipse dum adhuc in terris uitam ageret, testatus est his uerbis. Sine me nihil facere potestis. Quoniam rerum deo tribuendus est honor, sed hoc auxilium facillime consequetur, qui cætera quæ prædixi firmo proposito retinuerit. Nec mos iste diuini auxilii inuocandi

F. BAPTISTA MANTVANVS

apud nos solum obseruatur, sed etiam ueteres græcorum latinorumq; poetæ tenuerunt, unde semper in librorum exordiis numinis alicuius fauorem implorant, quo cetera possint commodius adimplere. Orandus est itaq; deus ut nobis sit auxilio, qd facile impetrabimus, si orōni nostræ conditiones duas addiderimus, ieiunium scilicet & elemosynas, & hæc duo cum humilitate conuerimus. ADRI. Est ne (ut aiunt) tam robuste uirtutis humilitas? GI. Nemo est qui nesciat dæmonis superbiam nostra humilitate superari. Meminerunt sacre literæ, qd dum Macharius apud paludem quandam solus obambularet humani generis inimicum curua falce armatū a longe uenientem prospexit & cum falce sibi minitantē, quum iam accessisset ut propius aspiceret, nec tamen obesse potuisset, cur hoc acciderit interrogauit. Cui ille furibundus, sola inquit humilitas in te est homuncule, q̄ te hodie fato subtraxit sed caue sis non impune feres. Vides ne quo pacto uicerit dæmonis superbiam? Item memoriæ proditum est, qd dum Antonius solitudinis incola supra se mente raptus esset orbem terrarum connexis inuicē intrichatisq; laqueis plenum uidit, qua de re dolens humanam miserā, ut sui moris erat, grauiter ingemiscens, tractis ex imo pectore suspiriis. Heu heu inquit pater omnipotēs, quis tot laqueos euadere poterit? Et ecce uox ab incerto autore prolata, non tamen humana, sic semel intonuit, humilitas, nec amplius quam semel audita est, ac si manifeste significaret solam humilitatem posse huius mundi laqueos & insidias effugere. Quæ cum ita sit, studebimus dei familiares fieri. Sed de castitate disputasse iam satis uideor, reliquum est ut ad contemptum mundi stilum conuertamus, qd egdē breuiter expediam, qm̄ iacto iam castitatis fundamento quasi sua sponte mundi contemptus consequitur. Mundi contemptū, si memini supra commemorari, non solum esse utilem ad acquirendam quæ a nobis quæritur iusticiam, sed etiā necessarium, ita ut sine eo nihil fieri possit late probauimus, Nunc quō posset inueniri succincte dicendum est, Eum igitur obtinebimus si tria diligenter nobis intellecta fuerint, scilicet instabilitas, infatigabilitas & sollicitudo.

DE INSTABILITATE DIVITIARVM

De diuitiarum instabilitate multa dicere uelle superuacaneum uideretur, quum nō modo antiquis & ueteribus, sed etiam quotidianis & domesticis exemplis abundemus. Nemo est qui nesciat uulgatam illam sententiam. Fortuna nil cuiq; donat, sed mutuo dat ut possit idem cum libuerit iterum auferre, sed nos dementes, quū diu possidemus quod fuerit nobis mutuo datum in proprium usum cōuertimus, nobisq; usurpamus, quod ubi fortuna animaduertit, grauius ferens quod dederat adimit, aliisq; largitur, & quanto nobis indulgentior fuerit, tātō molestior efficitur. Fortunam enim dicebant ueteres cuncta gubernare, & eius nutu cuncta disponi, & ideo pingentes eam simulachro eius regimen attribuebant copiamq; adiungebant, quoniam ipsa esse putabatur quæ fruges omnes parturiret, & ut ipis uidebatur distribuebat. Sed nos fortunam nesciētes, quicquid fieri uidemus ab immortali deo fieri putemus, Sed ut dicimus non permanent hæc bona quæ subito affluunt & subito dilabuntur

DE VITA BEATA

nec stabilitatem habent, quæ nec bona appellanda Tullius æstimat. Nouerat hoc Seneca poeta tragicus quod ipse testatur in Thyeste dicens. Quem dies uidit fugiens superbum Hunc dies uidit ueniens iacentē. Quot reges, quæ principes, quot etiam priuatæ uitæ homines uidemus: qui auro argento signis tabulis ceterisque operibus abundat, & paulo post sæuiente fortuna nihil horum habentes aspiciamus. Vides ne quot græcorum olim potentissimi principes, nunc ab infestissimo Turcarum duce propulsi, sedibus incertis uictum uestitumque mendicantes euagentur: quasi a principio uitæ diuitiarum instabilitatem cognouissent, eis hoc non accidisset, nam nec in fragilibus bonis spem ullam posuissent, nec se in superbia pueriliter erexissent, sed prædecessorem suum sapientem illum Bianthem studuissent imitari. Cuius cum patriam cepissent hostes, cæterique ita fugerent ut multa de suis rebus secum asportarent, quum esset monitus a quodam ut idem & ipse faceret, ego inquit omnia mea mecum porto. Necnon Marcum Curium Romanorum ducem, qui quum uidisset ad se uenisse Samnitum legatos auri magnum pondus afferentes, subridens dixit, Ite & Samnitibus nunciante Marcum Curium malle diuitibus imperare quam fieri locupletem, Non ignorabat enim quam uana sit diuitiarum possessio, quod etiam Epicurus qui summum bonum in uoluptate ponebat facile confitebatur. Non est igitur huiusmodi bonis fides adhibenda nec patiendum nobis quotidie tam turpiter illudi.

DE INSTABILITATE DIVITIARVM

Dic quæso audisti ne unquam mortaliū quenquam qui sibi satis diuitiarum diceret esse? ADRI. Audiui quidem qui hoc diceret, qui uero sic putarent neminem uidi. GIGO. Rectius inquis, nam sæpius aliter quam sentiunt loquuntur, nec mirum est, si nequit animus istis saturari, quum nec finitis impleri possint infinita, quod uel maxime illo exemplo probari potest, Alexander Philippi Macedonis filius quum audiuisset ex autoritate Democriti philosophi plures esse mundos, heu me inquit miserum quod nec uno adhuc potitus sum. Quis nec toto mundo satiebatur, quid amplius erat appetendum, nisi cum cœlicolis noua mouere certamina? Quare Satyrici nostri uerissimo carmine concludendum est. Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

DE SOLICITVDINE DIVITIARVM

Existimabant nonnulli ueterum summam libertatem esse diuitiis abundare, & eum demum liberum esse putabant, qui posset uno anno Romanorum exercitum pascere. Ego uero huiusmodi hominem non modo non liberum dixerim, sed nec liberati uicinum. Sunt enim in opibus anxie sollicitudines, quæ ante tempus se nec utem adducunt, & animum nostrum sic afficiunt ut sui ipsius obliuiscant, & a recti certique iudicii cognitione recedat. Audisti ne unquam Senecam clamantem Venenum in auro sumi, non autem in uasis fictilibus, & reges sui lateris enses time re. Audisti ne prophetam dicentem. Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. Audisti ne præterea quod passim recitari solet exemplum. Aiunt enim quendam regem dum sibi oblatum a populo diadema uideret priusquam sumeret diu considerasse ac demum dixisse. O nobile magis quam cœlicem pannum quem si quis agnoscat quam

R

F. BAPTISTA MANTVANVS

multis angustiis & sollicitudinibus refertus sit, nec humi quidem iacentē tolleret. Sed ut tibi de modernis aliquid loquar uir erat Florentiæ prædiues equestris ordinis, apud cuius ædes cerdo quidam exercendæ futrinæ gratia, paruulâ scenam ex contextis tabulis erexerat, Quum is igitur nihil aliud haberet præter quod labore quotidiano sic quæritabat, & nunquam nisi læto animo & serena facie uideretur, prædiues ille cuius supra meministis admirari non poterat. Tentari itaque uoluit esset ne uerum quod sæpius audiuerat, diuitias scilicet sollicitudinē parere, lumpitumque graue pondus auri in tempesta nocte per fenestrâ in cubiculum eius tacite proiecit. Mane autem surgens cerdo, proiectum aurum curatum radicum reperit, quod ubi cognouit paupertatem suam miseratum dominum æstimans repente corripuit, cepitque dubia mente uersari quid potissimum ex hoc faciendum esset, nesciebat enim an celandum, an alicui ex amicis aperiendum esset, Si tacuisset, dicebat non posse quicquam sine consilio recte ministrari, si uero dixisset timebat ne forte aliqua arte sibi surriperetur. Hinc profundæ cogitationis hinc curarum immensus cumulus exortus, tandem quid faciat nescit, tristi uultu, coniecto supercilio & ægro animo cogitabundus raro procedebat in publicum. Quare compertum est in diuitiis esse tristitiam, mœrorem, angustias & sollicitudines innumerabiles. Quo fit ut ausim dicere illas tanquam malum proiciendas, quo facilius ad iusticiam pertingere possimus. Et de his hæc.

Postquam duos gradus ascendimus pudicitiam scilicet & mundi contempnum tandem ad ipsam iusticiam deuenimus, in qua ego uitam beatam colloco. Nihil enim est aliud beate uiuere (ut Marco Tullio placet) nisi recte uiuere, in quo nihil deest ad beate uiuendum. Et quoniam quid sit ipsa iusticia superius satis liquide monstrauimus, honestissimæ uoluntati tuæ satisfecisse me puto. **ADR.** Profecto ita abunde mihi satisfactum est, ut uidere uidear ipsam uitam beatam manu contingere, nec despero quin ad eam peruenire possim, Sed tamen restat adhuc unum, quod intactum nequaquam præteriri debet. Sunt plerique qui existimant sacras literas quia incultæ sunt paruifaciendas, & præcipue hi qui aliquid eloquentiæ gustauerunt, & quia quicquid diximus in eis radicatus fixum est, non alienum uidebitur si paulo ulterius progressi fuerimus, & aliqua firmissima fidei nostræ adiumenta numerauerimus. Post hæc non inconueniens erit, si quædam quæ ex prædictis concepimus dubia paulo accuratius enucleaueris. Sed quia iam medio cursu transacto præcipiti curru sol uergit ad Oceanum, rogo te pater ut dummodo dilucide quam breuius fieri possit dicas. **GIGO.** Dicis esse plerosque qui sacras literas dicant floccipendendas, quia sunt simpliciter & sine ulla facundia prolatae. Primo igitur diuinæ legis simplicitas damnanda non est, sic exprimi omnino debuit, partim quia per se uerax est, nec indiget aliquo fuce orationis ad probandum (Res enim ueritate prædita simpliciter enuncianda est, res uero ficta quædam figmenta & colores postulat, quibus uerisimilis appareat) partim quia illa quæ sunt in communi necessaria, communi sunt sermone dicenda, unde cautum est ut syngrapha quibus rei citantur in iudicium communi sermone scribantur, ut possint etiam

DE VITA BEATA

ab indoctis saltem sub nube intelligi. Scribuntur etiam eo stilo causæ & cætera quæ in foro iudiciali tractantur. Quæ uero dicis esse sine facundia prolatas non plane assentior huic sententiæ, quare duplicem esse facundiam uolo uerborum scilicet & sententiarum. Iuuenum scilicet & senum, Iuuentutis scilicet & maturæ ætatis. Iuuenum facundia in quo uersatur nisi in quibusdam politis & cultis dictionibus? quæ nihil aliud in se habent nisi uentolum tumorem & resonantiam, quæ solet imperitorum aures demulcere. Hac eloquentia nonnulli hac tempestate, qui si non sunt omnino boni, uidentur tamen, frequentius utuntur, & imperiti uulgi in se ora conuertunt. De quorum facundia lepidissimum illud Augustini dici posset. Hæc siliqua intra dulce tectorum sonantes lapillos quatit. Sequuntur hanc nostri eneruati poetæ, & istius temporis semioratores, Nihil aliud est hæc quæ prædixi facundia nisi nauis in medio pelagi constituta priuata regimine, nisi corpus sine anima, nisi organum auro argentoque cælatum sine animante spiritu, & denique nihil aliud quam equus sessoris impatiens freno omni uinculo expeditus. Quo fit ut nullis unquam utilitati fuerit, nocumento suæ plærisque. Altera uero facundia sententiarum graui maturoque passu graditur, quæ sapientia uocatur, eam qui sapiens dicitur habet. Hæc nihil effatur nisi quod prius excussum ponderatum cribratum & acie mentis examinatum sit, Hæc si quid dicit quod cuique displiceat, nil tamen quod noceat, tantoque sapientior est, quanto non fauorem populi, sed uerum rectumque sequatur. Hæc sine prima plurimum, prima uero sine hac nihil omnino potest, hæc animæ, illa corporis uicem gerit, hæc animans, illa animatum. Sicut igitur potest anima sine adminiculo corporis uiuere, sic etiam ista quæ uoco sapientiam sine facundia uires suas explicare potest. Fuit igitur in sanctarum literarum autoribus hæc eloquentia præcipue, sed nec omnino prima defuit. quam non multo sudore & labore quemadmodum alteram quæsierunt, sed tanquam ultro se offerentem, & sponte sua sequentem acceperunt. Hæc est illa facundia qua usi sunt apud græcos philosophorum principes Plato. Theophrastus, Aristoteles, & plerique alii quæ more oratoris malebant esse sapientes quam uideri. Quæ igitur dicunt sermones nostros esse simplices, concedemus quidem primos pariter nostros sic loquutos fuisse, quasi fundamentum iacentes. Si uero aduerterimus quid super illo ædificatum sit, inueniemus parietes auro argentoque cælatos. Primo itaque apostolos silentio præteriens tanquam omnibus cognitos de græcis christianis mentionem faciam. Fuit Origenes qui Celso, Methodius, Eusebius & Apollinaris qui Porphyrio heretico responderunt. Origenes octo libris, Methodius decem millibus uersuum. Eusebius quinque & uiginti. Apollinaris triginta uoluminibus. Quadratus apostolorum discipulus Atheniensis, ecclesie pontifex. Adriano principi Eleusinia sacra uisenti librum pro nostra religione tradidit, cui tanta inerat iucunditas sermonisque festiuitas, ut illius excellens ingenium (sicut Hieron. affirmat) grauissimam imperatoris persecutionem extingueret. Eidem Adriano doctissimus philosophus Aristus, pro christianis tradidit apologeticum. Quid tibi Iustinum Melitonem Sardensem episcopum, Apollinarem Hierosolymitanæ ecclesie presbyterum?

F. BAPTISTA MANTVANVS

Quid Dionysium Corinthiorum episcopū, qui scripsit quibus philosophorū sententiis descēderit hæresis Origenes? Quid deniq; tibi Pāthenū cōmemorē? qui ob p̄cipuā doctrinā p̄dicaturus ad Indię philolophos missus est? Adiūgā etiā Clementē. Militiādē Iuliū Africanū, Theodorū, Dionysiū Alexādrinū episcopū, Antholiū, Pamphilum, Lucianū, Malchionē, Eusebiū cēsariensem, episcopum. Eustathiū, Achanasiū, Magnum Basilium, & infinitos alios longū esset numerare, Veniā ad latinos. Tertullianus apologeticum scripsit, Minucius Fœlix contra mathematicos, Arnobius septem libros contra gentes & ei⁹ discipulus Lactantius totidem contra gentes, Edidit etiam de ira dei, de opificio diuino libellos duos necnon & epistolarum carminumq; uolumina plura, Item Victorinus, Cyprianus, Boetius & Hilarius qui scripsit librū contra Diāscoridē medicū, Iuuenius super imperatore Constantino saluatoris historiam uersibus explicauit. Quid uero Ambrosius, Augustinus, Gregorius & Hieronymus fecerunt in omniū manibus est. Isti omnes gr̄ci pariter & latini quos hætenus numerauimus ita sapientiam cum eloquentia inuenerunt, ut eorum scripta legendo quid inter eos & Tulliū & Demosthenē intersit discernere nescias. Nec mireris si superius dixerim faciēdiā fugiendā esse, nunc uero dicam & in nostris eam fuisse. Sic em̄ capiendū est ut facundia sine gubernatrice sapientia uana sit, sapientiæ uero copula non sit aspernāda. Vnde M. T. Cicero romani eloquiū princeps ad Herennium inquit. Non parum fructus in se habere copiam dicendi & commoditatem orationis, si recta intelligentia & definita animi moderatione gubernet. Quo fit etiam ut Quintilianus oratorem definiens, dixerit oportere eum esse uirum bonum dicendi peritū. Primo uult esse in oratore bonitatem, qm̄ que magis sunt necessaria in primis sunt in uestiganda. Et ut paulo audacius loquar, si quis uir bonus fuerit, quis ea tam exquisita dicendi peritia caret, modo impetret qui uult oratorem nominabo, nam finis oratoris est ad persuasionem dicere. Præterea non minus uictor appellabitur qui uicerit hostem, si ferreis armis usus est q̄ si aureis munit⁹ fuisset, nec ianua minus apta dicitur, q̄ clauē ferrea quā que argentea fuerit patefacta nec min⁹ uictor appellabitur equus macilētus quā pinguis & obesus q̄ modo ante alios metā tetigerit. Habet igitur christiana fides ueteris nouiq; testamētorum oratores excellentissimos, quibus armata non dubitat cum gentiliū gr̄ate certare. ADRIA. Habeo quæ dicis & miror q; hæc omnia tam breuiter tamq; dilucido uerborum ambitu disserueris & gaudeo, quia q̄d nesciebam didici. Sed quum superius de uita beata disputarem, unum mihi restitit de q̄ nunc a te certior fieri uellem, possit ne inquam uita beata in diuitiis reperiri? & si forte possit, in quibus potius an in pauperibus an in diuitibus? GI. Hæc sane beatitudo inter omnes homines tam pauperes quam diuites inueniri potest. De⁹ em̄ uult omnes fieri beatos, diues qui multis affluit diuitiis fiet beatus, si fortunarum suarum non solū possessorē, sed etiā se cognoscat esse dispensatorem, rē familiarem integre sancteq; gubernet, nec plus nec minus quam cuiusque necessitas postulat efficiens, sed præter cætera pauperum non obliuiscatur, qbus

DE VITA BEATA

si quis in uita subuenerit qui sibi subueniat dum mortuus fuerit non indigebit
 sic perforamē acus oī onere reciso camel^o intrare poterit, si gracilem politū &
 expeditum se reddiderit. Sed hæc uia quia laboriosa minus quidem trita est,
 pauciq; in numero diuitum reperiri solēt qui possent ad beatitudinem perue
 nire. Igitur paupertas est potior, quod facile concedes, si quid in ea ipsa mali, &
 quid in hac boni sit ostēderimus. Magna rerum copia, magnus curarum acer
 uus diuitiæ non sine magno sudore acquiruntur, aliquando dum quæruntur
 amittuntur, nonnunquam possessores suos secum trahunt ad interitum. Nec
 longe exempla peramus quotidiana sufficiunt. Nauigant oceanum mare, na
 uigant Hellepōtum in patriam reuersi hæreditatem ab affinibus defraudatā
 matrimoniū uel pollutū uel suspectum, liberorū uitā uel prauā uel adhuc in
 dubio positam, rura rusticorū inculta uel sterilia uel omnino male culta repe
 riunt, indignant, irascunt, furiunt, & tñ ut solitam grauitatem inter amicos ob
 tineant, graues animi motus difficili patientia reprimunt. Interueniūt necessa
 riorum & affinium repentinæ mortes, lugubri ueste teguntur, & dum inter
 dum mira læticia redundant, opus est ut mœrorem simulent. Accidit ut prin
 cipibus suspecti sint, quo fit ut uel penitus excidant, uel saltem retrorsum cedāt
 nonnūq; exulantes errant, & tanto grauius aduersam sortem gerunt, quanto
 mollius ante uixerant, sed sufficiat de multis pauca numerasse, quis posset in
 tot molestiis quieto animo uiuere? hæc mihi nunq; uita placuit. At paupertas
 remoto se custodit in angulo, non coniugis, non liberorum curam, non regū
 aut principum graue odiū, non agrorū aut uillarum sterilitatē formidat nec
 inuida est, nec inuidiosa, non exiliū, non carcerem, non uenenum timet, &
 ab omni tumultu seclusa tranquillo fruitur ocio. Hæc est illa beatitudo quam
 Diogenes regum delitiis prætulit, qui dum in radice montis sederet ad solem
 interrogāti Alexādro, qui uirtutis eius crebro rumore compulsus aduenerat,
 ut si quid uellet peteret, id in primis uelle respōdit, ne a sole sibi obstaret. Recte
 ille, si fidelis & fidei gratiam habuisset beatus diceretur. Sed quid Horatius
 Flaccus senserit quæso animaduerte, sic scribit ad Lolium. Non possiden
 tem multa uocaueris. Recte beatum rectius occupat Nomen beati, qui deorū
 muneribus sapienter uti Duramq; callet pauperiem pati, Peius quæ læto fla
 gicium putat. Et alibi. Eradenda cupidinis per prauæ sunt alimenta & teneræ
 minus Mentis asperibus Formandæ sunt studiis. Nonne Tibullus quamuis
 poeta lasciuus inquit? Ne mea paupertas uitæ traducat inertem, Dum meus
 assidue luceat igne focus. Nonne Iuuenalis quamuis paganus talia loquatur?
 Cantabit uacuis coram latrone uiator. Omittenda igitur sunt hæc omnia &
 præclara uirtute pectus muniendum, opes enim magis oneri sunt quam usui.
 Taliter igitur quisq; uiuat, ut qualis uideri uelit talis sit, sic em̄ cito ad gloriam
 perueniri Socrates putat. Offerit se nobis Demetrius imitatione dignus, cuius
 pater quum tot opibus abūdaret, ut Xerxis Persarum regis pascere posset ex
 ercicum, pauca summa retenta cætera reipublicæ remisit, studuitq; Athenis
 diu incognitus. Sed quid ego paupertatem laudare pergo, quum in ea bea

F. BAPTISTA MANTVANVS

ritudinē inesse & Anaxagoræ philosophi sententia & oraculo delphico comp-
 tum sit. Anaxagoras enim interrogatus quæ nam esset in hoc mundo uita
 beata. Nemo inquit inter eos quos tu scélites sed poti⁹ inter eos quos miseras
 existimas beatus inuenietur. Nam non ille est diuitiis aut honoribus affluens,
 sed aut non ambiciosæ doctrinæ, aut parui ruris cultor, & in secreto q̄ in publi-
 co beator. Gyges lydiæ rex præter omnes ditissimus Apollinem consuluit,
 esset ne alter se beator. Cui responsum est. Aglaū quendam senio confectum
 Arcadum pauperrimum, tenui paupertate contentum beatiorem esse. A no-
 stris taceo quam sit laudata paupertas, quum pater omnium deus eam præ-
 ter cæteras uirtutes mirifice coluerit. Non enim habebat ubi reclinarer. Quo-
 fit ut diuites magis uideantur, pauperes uero magis sunt q̄ uideant beati, tan-
 toq; beatiore sunt quanto ignobiliores & despectiores habentur. ADRIA.
 At paupertate studium impeditur. GIGO. Quid attinet? quasi non possim⁹
 sine studio esse beati. Plurimos tamen memini me legisse, qui in ultima calami-
 tate constituti ad summum literarum culmen euaserunt. Flaccus libertino pa-
 tre natus, Virgilius figulum & inopem sortitus est parentem. Pythagoras ex
 infima seruili conditione clarum lumen emicuit, primus omnium qui philoso-
 phus appellatus est. Propterea dicebat numerum imparem deo chariorem,
 quasi iam trinitatē diuinaret. Sed quid pauperius Codros? Cuius diuitiæ erāt
 sex fictiles urceoli, & cuius diuina carmina rodebant mures. Cleantem Chry-
 sippi discipulum sileo, qui tāta miseria oppressus, ut postquam tora die studiis
 operam dedisset, uictus querendi gratia noctem quoq; in hauriendis aquis cō-
 sumebat, idq; assidue factitabat, nec potuit paupertas obsistere quin doctus
 euaderet. ADRI. Cur fit ut tam pauci beate uiuant? GI. Hoc duabus ex cau-
 sis solet euenire, primo fidei defectu. Quis est tam uecors & mentis tam impo-
 tens, ut se ad anfractum uitiorum reflectat, si quæ bene uiuentibus promissa
 sunt uera putauerit? Quare Augustinum dicere solitum accepimus actiones
 fide metiri. Secundo, quia (ut Lactantius testatur) uirtus amaritudine misce-
 tur, uicia sunt dulcedine linita, illa offensi hac decepti per uitiorum præcipitia
 feruntur. Et tria sunt præcipue quæ nos in omnē scelus præcipites agunt, est inq;
 cupiditas, libido & ira. Cupiditas diuitias inquirat, contra quā paupertatem
 posui. Libido sirit uoluptates, cui resistit continentia, quam p̄dixi. Ira querat
 ultionem, cui opposuimus humilitatem & iusticiam. Et ideo ueteres poetæ
 propter hæc capitalia uicia tres furias esse dixerunt. Atq; hæc addidi, quia duo
 sunt sapientiæ gradus, scilicet bona cognoscere ut teneantur, & mala pariter
 ut fugiantur. ADRI. Iam mihi abunde satisfactum est, reliquum est ut ad par-
 tem ultimam edisseras, si qui usquā sint hac nostra tēpestate qui beatam uitam
 uiuāt, ut sermo noster simul cum die finiat. GIGO. Magnum est & inexplica-
 bile quod scire laboro, nam beatitudo nostra circa interiora uersatur. Et quis
 potest occulta alieni cordis latebras uisu penetrare? Sed ne te fame deficere p̄-
 mittam, quod intelligere uideor aperibo. Qui præcepta legis obseruant ea cō-
 ditione ut nihil omittendum faciant, & nihil faciendum omittant beati uiue-

DE VITA BEATA

re nuncupant. Et quicumque a mundi perturbationibus fugiunt, ut collecta mente deo seruiant praecepta seruire uidebuntur. Huius autem uitae sunt qui ab eremo eremitae, & a coenobio coenobites dicuntur. Illi primi Baptistam, isti uero xii. sapientes imitantur. Illorum syluestris, horum domestica est uita. Coenobitarum multitudo in quatuor tribus distribuitur. Prima carmelitarum secunda illorum qui uulgo dicuntur eremitae, tertia predicatorum, quarta uero minorum. Prima Heliam, secunda Augustinum, tertia Dominicum, quarta Franciscum habet authorem. ADRI. Qui sunt quos tu superius duodecim sapientes appellasti? GI. Si olim graeci septem uiros sapientia praeditos septem sapientes nominabant, quis apostolos sapientiae nostrae fundatores duodecim sapientes nuncupare nos prohibebit? ADRI. Quoniam nos in Carmelitarum tribu numeramur, dic quae nostra fuerit origo? GIGO.

DE ORIGINE CARMELITARVM

Inter Armeniam & Euphratem iacet Syria, cuius pars est regio quam Palaestina dicunt, cui Iudaea quoque subiacet a Iuda quidam Israelis filio (ut Trogius Pompeius autor est) sic appellata. In medio Iudaeae tanquam umbilicus posita sedet Ierusalem, a qua non longo interuallo distare perhibetur mons quidam non minus iucundus quam amoenus, cui nomen est Carmelo, in quem quam gratissimam praestat incolis habitationem, & quia ab omni hominum strepitu paulo semotior est nonnulli circumstantibus urbibus antiquitus secedebant, ut omne uitae curriculum optimo summoque deo prudenter sapienterque dicarent, & hi quidem prophetarum discipuli dicebant. Appellabant enim olim prophetae qui scirent multo ante futura praedicere, quos modo nos a uaticinando uates appellamus, inter quos Helias propter caeteros emicuit, fuit enim prophetarum primus qui se matrimonio contineret. Is in praedicti montis radicibus sibi struxit habitaculum, quod non solum paupertatem, uerum etiam mirabilem praese ferebat habitantis humilitatem. Erat etiam ibidem locus in amphitheatri modum extructus, cellulis seriatim positus, & in uiuo saxo uel arte uel natura caelatis undique circumseptus. In summo autem montis uertice procul aspicientibus superba se monstrabat habitatio, ad quam gradibus hinc illincque in monte excisis paulo laboriosius ascenditur. Nonnulli ex nostris mare nauigantes, & montem omnem & rura uicina cum freto & fluminibus in tabellis pinxerunt, pictaque ad nostras oras aduexerunt, quae dum non nunquam contempler, uideor mihi in illis rupium cauernis cum nostris uiuere patribus. Hic itaque uixit Helias qui postquam igneo curru raptus terris Heliseus eius discipulus non solum loci, sed etiam uirtutis eius remansit dignissimus haeres. Crescente paulatim multitudine non platonico, non peripatetico, sed sanctorum hominum noua secta constituitur. Appropinquante interim nouissimo seculo dei filius genus humanum reformaturus, sub uirili specie descendit in terras, quam rem audientes Carmeli montis incolae (erat enim pene per totum mundum fama diffusa) maximas immortalidei gratias egerunt, quoniam quae tanto tempore expectauerant tandem misisset, nam diuino spiritu praemoniti Christum semel uenturum certo sciebant. Pluribus annis euolutis basilicam ut potuerunt humilem con-

F. BAPTISTA MANTVANVS

struxerunt, & magni saluatoris matri dedicauerunt. Iam enim ipsa e terris sublata caelestem migrauerat ad patriam, & unanimes ei diuinos tenues tñ quotidie reddebant honores, reddituri tñ maiores si potuissent magis pie q̄ magnifice colebant. Iam mutata erat in baptismum circumcisio. Et ecce magno armorum impetu barbari prorumpentes e Ierusalem omnia uicina loca ferto flammarum uastauerunt, & plurimi Carmelitarum gladiis caesi sunt, pauci uero qui tantæ cladi superfuerunt nauibus euecti in Gallias uenerunt, qui procedente tempore seu propter loci mutationem seu propter malorum consuetudinem (ut fit) ceperunt paululum languescere, inter quos Thomas quidam gallus q̄ pristinum feruorem adhuc in pectore fouebat cum paucis in Italiam se cõtulit. Sic em̄ deo uisum est, ut ea regio quæ cæteris omni munere præstat, hoc etiam uirorum habeat ornamentum. Turpe nanq̄ quum res ulla tñ uno indiget ad perfectionem id non addere (si possis) ut perfecta sit. Verum non solum Italiæ, sed etiam uiro sancto deus ipse consuluit, illi enim dedit cuius uitam possit imitari, isti uero purpurei diadema martyrii. Nam dum bene beateq̄ uiueret a quibusdam inuidis apud summum pontificem captus accersitur, & post carcerem, post tormenta, post cruciatus, tandem quum nihil damnabile reperissent, grauius inuestigarunt quod iure non potuerunt, iniuria perficere fortiter accinguntur, & comburẽdum scelerato rogo commiserunt. A quo prorũpis effrate liuor in amphibalũ? Vides ne cãdidissimum eius amphibalum, quout nos utebatur purę conscientię testimonium esset? q̄ si non ut hominẽ uerebare, saltem ut magnæ matris militem ueritus esses. Sed tñ illum non occidisti, nequit enim anima extingui, sed illius terrenum corpus uiolando fecisti, ut citius uita donaretur æterna. Huius flammæ non Sceuolæ rogo, sed Laurentii posse comparari non dubito, dicant quid uelint, obstrepant, clamitent & insaniant ille summo uiuit olympo. ADRI. Narrasti triste facinus ipsis qui intulerunt diu multumq̄ deploradũ, & qui posset malefactoribus delicti ueniam impetrare alius Thomas nõ superfuit. GIGO. Sed multa de hoc uiro, multa etiam de prædictis fratribus silentio præteriui, non em̄ quo pacto ipsi a morte quem incoluerunt, & ab ecclesia quam confecerunt cognomen acceperunt. Dixi scilicet ut fratres beatæ Mariæ montis Carmeli nuncupati sint, nec ut eorum priuilegia ab Alberto hierosolymorum patriarcha condita, & ab Innocentio quarto Pontifice Summo comprobata fuerint, sed hæc alto tempore dicenda reseruo. Hæc ad præsens habui quę de Beata Vita dicerem, qua muniti utinam ad illam immortalem gloriam olim peruenire possimus.

HERMANNI BVSCHII ODA DE CONTEMNENDO

mondo, & amanda sola uirtute & scientiã,

Ipsæ cum solus uarios retracto
Exitus uitæ studiumq̄ nostræ
Dispar, & curas sibi dissidentes
Cassaq̄ uora.

DE VITA BEATA

Rideo partos hominum triumphos
Regium nomen, nitidamq; rubri
Littoris concham, tyriocq; pictas
Murice uestes.

Rideo quicquid legitastur auri
Fertiles campos Libyæ, Sabæi
Pulueris fumos, Solymiq; munus
Balsama regni

Rideo merces alio petitas
Sole, rostratis cupide carinis
Et per ignoti sinuosa uectas
Littora ponti

Rideo thermas, celebres & arcus
Poricus, spectacula, narrationes
Citreos orbis, niueocq; ductas
Marmore uillas.

Rideo lusus, hilaresq; mensas
Et puellarum fragilem decorem
Plectra, concentus, choreas, rosarum
Sutile textum.

Rideo luxum Babyloniorum
Indiæ regum, Sybariticos &
Persicos miror nihil apparatus
Deliciasq;.

Rideo lauripatnas Apici
Prandia Antoni simul & Vitelli
Prodigos mores, epulasq; Martis
Pontificumq;

Mutat & carpit malefida fors hæc
Gaudia, & quædam minuit senectus
Integer sanguis, bona forma, cedunt
Omnia morti

Sola non languet speciosa uirtus
Omnibus gemmis, opibusq; maior
Viuit, & nunquam deus exolefcit
Artis honestæ.

TETRASTICHON BAPTISTÆ MANTVANIIN

apostatam de se ipso loquentem.
Deposui benedictæ tuam, rapuiq; petrinam
Vestem, sic ditem fallere posse ratus
At mihi nil prodest uestis mutatio, nam me
Prodit caluicijs & mea lingua leuis

F. BAPTISTA MANTVANVS
THOMAS VVOLPHIVS IUNIOR IACOBO

Vuimphelingio sacrae paginae Licenciato.

Saluus sis mi doctissime Iacobe. Æglogas Baptistæ Mantuani (sicut audio) tradidisti Iohanni Preusz chalcographo comuni nostro amico, ut in mille exemplaria transcriptæ latissime diuulgent. Debet profecto tibi plurimum germana iuuentus, quæ diligentia tua multis doctorum uirorum monumentis facta est opulentior. Semp̄ em̄ ex officina tua literatoria aliquid depromis quod iuuet, quod delet, quod linguas iuuenum reddat politiones. Ita sunt æglogæ Mantuani, quæ eruditorum sententia totæ sunt aureæ. In quibus uidere licet id quod in Theocriti & Maronis carmine maxime admiramur. Ago deus gratias non proinde quia natus sum quæ pro eo quod me nasci contigit his temporibus in quibus tot literarum principes floruerunt. Ego dum Bononiæ ingenuis disciplinis uacarem, in ipso iubilei anno profectus sum Mantuam, ut Baptistam quæ ex literis noueram, coram quo uiderem. Id feci ductus exemplo Apollonii Thyanei, qui sicut Philostratus tradit & meminit Hieronymus opulentissima Indiæ regna penetrauit, & latissimo phison amne transmissus peruenit ad Brachmanas, ut Iarcham in throno sedentem aureo & de Tantaliphiala potantem inter paucos discipulos de natura, de moribus ac de cursu dierum et siderum audiret docentem. Ego mi Iacobe sicut multa alia ita hoc precipuo quasi mihi, quod ipse in æglogis suis intelligi desideraret, per Vmbrium, in cuius laudibus esset tam frequens ac assiduus. Aiebat ipse a se notari Gregorium Tiphernum preceptorem suum hominem græcæ latinæque linguæ oppido quæ peritum, qui & uersu & prosa plurimum polluit, & qui aliquot Strabonis libros latinitate donauit, Fortasse scire desideras, qua statura & forma sit ipse Mantuanus Baptistam. Memoria repero de ea re multa a nobis olim fuisse dicta, ideoque breuiter tibi nunc satisfaciam. Scias id rectissime posse de Baptistam dici quod Homerus & cæteri uates de Ulyssæ retulerunt, qui corpore paruus & forma indecorus, sed ingenio maximus & animo speciosissimus fuisse perhibetur. Verum est illud poeticum. Non uni dat cuucta deus, formosus ut idem. Sit simul & prudens ac multa laude disertus. Qui specie caruit, deus hunc uenerabilis ornat, Viribus eloquitur quæ sit mirentur ut unum. Quod etiam Hieronymus contra Pelagianos eruditione expressit. Dabit tibi puer meus (cui Scatinio nomen) uersiculos quos hic noster Mantuanus de me composuit, sunt quidem nitidissimi, & qui plus habeant in recessu quam in fronte ostendant. Epitomata tua germanica fac tandem in lucem prorumpant, ne a maleuolis in spongiam incubuisse dicantur, sicut olim Augusti Cæsaris Ajax, bene uale. Argentinae cursim ex ædibus nostris sexto Kalendas Martii. Anno Christi M. D. III.

IACOBVS VVIMPHELINGIVS THOMÆ

Vuolphio Iuniori.

Baptistam Mantuanam extollo, tum in poematibus suis tersis & puris, quæ absque ueneno a maturo preceptori iuuentuti tradi possunt. Tum quod amor poeticæ in eo non extinguit studium sacrae paginae & philosophiæ, nam ex eius libello de patientia magnum eum & philosophum & theologum esse liquido constat. Vtinam mihi

DE VITA BEATA

liceret uidisse & audiuisse hominem sicut tibi licuit Thoma dulcissime, nedū hūc uidere & audire, sed & Picum Mirandulanum, Marsilium Picinum. Mat thæum Bossum, Pomponium Lætum, Petrum Marsum, Antoniū Codrū, & unicum præceptorem tuum Philippum Beroaldum. Laudo ego ingenia Italorum, qui a teneris annis bene instituti necessaria & utilia discunt. Illi nobis græcorum philosophorum immo & theologorum (sicut Chrysofomi & similia) librose græca lingua Latinos reddiderunt. Vtinam tandem apud Germanos (saltem in hac urbe nostra Argentina) in dandis primis rudimentis imitemur Italos, Vtinam sopiat stoliditas illorum qui puerulos casualibus & temporalibus obrundunt, qui in grammatica circa vtōs, uerba impersonalia appositionē, impedimēta. In dialectica uero circa uniuersale reale usq; in seniū uersant. Spero deum nobis tandem illam daturum gratiam ut error quondā delirantiū sacrificulorum comprimatur, qui antiquæ adhuc laruæ qua ipsi corrupti sunt inhærent. Simul etiam ut insaniam compescatur cuiusdam fraticelli famam meam ubiq; lacerantis, qui pro adulescentibus apud communes ecclesiarum scholas prima rudimenta iam consecutus gymnasiū, qd pædagogū uocari solet, in hac urbe institui periculosum fore mētitus est. Vale ex Heremitorio diui Guilermi, Kaleñ. Martii. Anno salutis nostræ M.D.III.

Hagnoiæ apud Thomam Anshelmum Badensem
Anno M. D. XVII. Imp. Max. g. milano
Regnante.





DE VITA BEATA

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







Th

597